


Giornate Bormiesi di Cardiologia



Le acque dell'Alta Valtellina

Edizione a cura di
Livio Dei Cas e Leo Schena

Le acque dell'Alta Valtellina

a cura di

Livio Dei Cas e Leo Schena



APPENDICE V

*BALNEORUM
BURMIENSIVM DESCRIPTIO
NATURA ET VIRTUS
ITEM
CONSILIVM DE
OVORVM AVIVM NATURA
VIRTUTE AC VSU*

*Antonio Maria Venusto de
Castello Sancti Faustini, auctore
1584*

De admirandis balneis Burmiensibus dicturus, quae dignissima sunt, ut in sermonem Doctorum hominum veniant, licet hactenus (quod sciam) nemo quicquam di ipsis in lucem ediderit; operae pretium me facturum putavi, si antea quaedam generatim dicam de loco atque populis, ubi et apud quos praedicta balnea scaturiunt; postea vero de ipsis balneis speciatim agam. Permagni enim sane refert, peregrinos, praesertim longiquos, eo valetudinis ergo venturos, plenam habere prius cognitionem tractus ipsorum balneorum; et coeli temperiem, et soli ubertatem, et incolarum mores, atque demum vivendi consuetudinem plane cognoscere, ut ipsi convenae, antequam domo pedem efferant, vere sciant; quo potissimum anni tempore, quo victus et vestitus apparatu, per quae loca tuto et commende itineri se committant; ut ad balnea ipsa perveniant. Itaque de regione, in qua Burmiensia Balnea summa Dei benignitate et admirabili quasi miraculo perenne scatent, prius summatim verba faciam.

Volturrena, patria mea, vallis amoenissima atque uberrima, iam multis ab hinc annis Illustrissimis ac potentissimis Rhaetis subdita, a Lario Lacu initium sumit inter meridiem et occasum, sinuosa multis in locis via, ac tortuoso quodam anfractu, in longitudinem extenditur Burmium usque, iter est ferme duorum dierum ob saxosas passim vias, spatium pene sexaginta mille passuum; desinitque inter Aquilonem ac solis ortum. In tali itinere cernere est singulis fere milliaribus vel duobus, vel saltem tertio quoque milliari, aliquod diversorium; ubi peregrini cuiusque generis si non laute, tuto saltem satis commode, omni anni tempore queant diversari. Habet hoc patria mea, magna dignum laude, ut nulli peregrino nulla omnino fiat iniuria, nulli quod suum est aut dolo surripiatur, aut vi eripiatur; fures, latrones, praedones, si qui sunt, qui vel nulli, vel paucissimi et maxime rari

sunt, a Rhetorum Dominorum Magistratibus diligentissime inquiruntur, deprehensi severissime puniuntur.

Vallis haec celeberrima, quae inter meridiem et occasum incipiendo, habet finitimos Trimpilinos, Larij lacus accolat, et comenses definit ascendendo ad radices altissimarum Alpium, ultra quas est comitatus, quem nunc ita vocant, Tyrolensis, provincia bene ampla, montuosa quidem, sed dives opum atque militibus strenuis copiosa, subdita Serenissimo ac Potentissimo Ferdinando archiduci Austriae, principi meo gratiosissimo. A sinistro latere ascendendo, ultra praealta Alpium iuga inter occasum et aquilonem sunt Rhaeti Volturrenae Domini.

Ab altero autem latere inter soli ortum ac meridiem, ultra alios monte non ita altos sunt Camuni vicini populi sub imperio veneto positi.

In planicie huius vallis atque etiam a lateribus conspiciuntur passim creberrimi pagi, multi vici, aliquot oppida multis Italiae civitatibus comparanda. Tractus certe est ferax rerum fere omnium ad usus vitae necessarium.

Sed maxime aliorum quasi omnium Italiae locorum abundat vino rubro, ita salubri ut ad multos incorruptum annos perduret, et incolarum pene nullus vel podagra, vel ischiade laboret, id quod multi potissimum vinorum bonitati acceptum referunt.

Aquae item plurimorum fontium (eorum praesertim, qui ab Aquilone Meridiem versus fluunt) multorum fluviorum in Adduam flumen descendentium optimae sunt.

Addua vero flumen in monte Adua, excelso Rheticarum Alpium iugo, scaturiens non longe ab ipsis balneis, de quibus dicam cito, flexuoso itinere labitur per totam Volturrenam in Larium lacum; ita tamen imperiose, ut in ipso lacu suum servet fluxum, proprium retineat colorem, quod non sine admiratione magna Plinius quoque secundus testatus est.

Sed maiori admiratione, vel potius commiseratione dignum videtur quod ipsa Addua non statis quibusdam temporibus, sed incertis tantum annis plurimum damni toti valli afferat, dum vel nimis ac diuturnis pluvijs, vel repentino grandine et saeva tempestate, ex alto quasi nivis monticulos, terrae globos, necnon saxa detrudente, ita excrescit ut quasi de repente extra suum tortuosum atque saxosum alveum excurrans, vicina prata devastet, finitima arva depopuletur, et etiam aliquando propinqua aedificia funditus evertat. Sed hoc patriae meae commune est cum alijs quoque locis, per quae loca tam rapida, tam saxosa labuntur flumina.

Aër denique totius vallis supra Morbonium, longe a quibusdam paludosis pratis, ita purus, tenuis et salubris est ut plerique incolae diutissime vivant, et multi ad centum usque et ultracentum annos sani vitam degant;

si modo aliquam in victu adhibeant moderationem, atque hiemis tempore contra Aquilonis venti impetum caput bene praemuniant. Itaque omni fere anni tempore, sed maxime de mensibus Junij, Julij et Augusti, a Camunis populis vicinis per aliquot loca, a Lario lacu per viam Regiam ab ipsis dominis Rhaetis per multa itinera, a Tyrolensis comitatu per altissimum, sed tunc temporis tutum, amoenum, virentibus pascuis conspicuum montem Braulium, atque etiam per aliud non longiquum iter minus quidem montuosum, Frail vulgus vocat, ad balnea Burmiensia tutus et commodus datur accessus.

De tractu, ubi ipsa balnea perenne et admirabiliter scatent hactenus generatim diximus. Nunc vero tandem de Burmio atque de ipsis quoque balneis speciatim dicendum putamus.

Balnea quorum potissimum causa hunc scribendi laborem suscepimus, merito Burmiensia ab omnibus vocantur. Propterea quod in Burmiensiditione sita sunt, ad montis Braulij pene radices, supra planitiem paulo plus quam mille passus; distantque ab oppido Burmio alterum tantum lapidem. Unde ad tam vicina balnea cito et facile et copiose necessaria quaeque traduci possunt, Burmium enim oppidum amplum, populosum et bene turratum, quod olim certe vera fuit respublica, et populus penitus liber, habet praetiosissima quaeque ex Volturrena allata vina; abundat omni pene genere earum rerum quae vel ad sanorum voluptatem, vel ad aegrorum in vicinis balneis degentium salubritatem spectare possunt et quoniam non omnis fert omnia tellus, inquit poeta, si quid inibi non nascitur, eo provide ab incolis affertur.

Burmienses oppidani sunt hospitales et urbani cum inter se, tum erga peregrinos, qui plurimi fere semper vel balneorum vel negociorum causa eo conflunt.

Sunt commendati atque sub tutela Rhaetorum Dominorum positi, et erga eos in fide constantissimi: qui tamen adhuc quibusdam mirificis privilegiis gaudent. Balnea vero ipsa Burmiensia alterum ab oppido (uti dixi) lapidem distantia, extant in colle saxoso quidem praerupto, sed non ita tamen quin eo pedibus et equo, et lectica, et curru satis tuto et commode accedere cuique liceat, licet toto pene anno et cotidie fere intueri frequentes equos vel vino onustos, montem Braulium ascendentes, vel sale aut frumento oneratos iuxta Balnea descendentes.

Duo cernuntur vicini et copiosi fontes aquae satis bene calentis, quorum uterque sua habet propria domicilia, hypocausta, cubicula, culinas, atria et alia loca vel stillicidium capientibus, vel in Balneorum aquam ingredientibus idonea, adeo ut in illo diversorio et in illis tam multis habitationibus, praeter hospitem cum sua familia, plures quam centum

advenae commode diversari possint.

Tempore Estatis nihil ibi fere desideratur; mira est coeli temperies et salubritas: et optima quaeque vel eo ex ipsa valle portantur, vel in vicinis collibus atque montibus habentur.

Aestate igitur potissimum ad Burmiensia balnea accedendum est. Licet enim hyeme duo illi copiosi fontes et plura stillicidia sint calidiora et potentiora (contra sententiam Falopij, qui cap.4 falso sane putat, aquas thermales semper aequae calidas esse) aër tamen ambiens illius loci est valde frigidus. Sed hoc anno Burmiensium provido consilio superioris fontis habitationes ita sunt accomodatae et auctae ut valde vel de hyeme commode ibi degi possit.

Tempore veris autem balneorum fontes minus interdum calidi ac potentes existunt ob nives paulatim liquescentes et per absconditas montis rimas aquae cuniculos penetrantes.

Qua quidem in re Petrus Paulus Paravicinus medicus videtur deceptus, dum ad Ioannem Ambrosium Cavenagum Mediolanensem medicum, de balneis Burmiensibus scribendo, tantopere laudat eorum usum de mense Maij, et improbat usum de mensibus Iulij et Augusti, nam huius viri sententia non est consona rationibus et experientiae eorum qui balnea ipsa frequentant, sed vir, alioqui doctissimus, numquam fortasse illa balnea vidit; quorum ego naturam sum saepe oculis contemplatus, et in multis aegris meis feliciter expertus.

Balnea ipsa calefaciunt, exsiccant, extenuant, solvunt, aperiunt, incidunt, consumunt, attrahunt, debilia corroborant, observatis observandis ante ingressum ad balnea et in ipsis balneis, prosunt omnibus morbis a causa frigida vel humida genitis.

Speciatim curant capitis dolores a causa frigida, somnos profundos, lethargum, incubum, aquam intra craneum, epilepsiam, debilem apoplexiam, paralysim, ex repletionem convulsionem, tremorem nervorum, membrorum stuporem, resolutionem, contractionem, articulos laxatos ob nimiam humiditatem vicinorum ligamentorum atque tendonum, articulos tensos ob nimium frigus, artuum dolores ob luxationem non bene curatam, oculorum fistulas, surditatem, aurium sonitum atque tinnitum, odoratum laesum, dentium dolorem, linguae immobilitatem, anhelitus a frigore difficultatem, tussim humidam, ventriculum frigidum et humidum, vel saltem humidum, nauseam, appetitum prostratum, malum corporis habitum, sputum supervacaneum, hydropem, iecoris imbecillitatem a frigore aut humiditate, colicos dolores ex flatu, vel ex pituita, renes frigidos, a frigiditate obstructos, insensibile urinae exitum, seminis profluvium, nimios menses vel retentos, uteri strangulatum, duritiem, ulcera, flatus,

humiditatem, virgam erigi nequeuntem, arthritidem non inveteratam, scabiem, spinae dorsi perversionem, torsionemque non inveteratam, sive sit gibbus, sive cavitas, sive obliquitas: hi enim sunt affectus spinae perversae ex Galeno,⁵ 2. Aph. 10.51. Predicta denique balnea curant tumores seroti, cutis pediculos, et quartanam febrem. Sed quoniam nihil prodest, quod non laedere possit idem, inquit ille diligenter animadvertendum est, quibus temperamentis quibusque morbis Burmiensia balnea noceant.

Sunt noxia iecori valde calido, renibus summe calidis, temperationi totius corporis calidae et siccae, aut saltem valde calidae solum, aut valde siccae tantum, morbo omni a causa calida et sicca, vel etiam a causa frigida et humida si adsit magna febris; morbo demum Gallico: cui morbo a proprietate quadam pleraque balnea sunt contraria.

Quod si detur aliquod corpus, quod habeat partes diversi temperamenti; quae quidem corpora sunt morbis obnoxia, ait Galenus lib. 3.cap.16 de Alimentorum Facultatibus; tum partes illae nimis calidae praemuniendae sunt ceratis aut unguentis frigidis tenacibus; quo minus balneorum vis calida eo perveniat et membris calidis noceat. Reliquum vero corpus frigidum, vel humidum iuvetur balneo calido, vel potu, vel insessu, vel stillicidio, vel omnibus tribus praedictis modis, vel duobus.

Non enim omnes morbi simul requirunt insessum, potum, atque stillicidium, ventriculus frigidus vel humidus vel aliter male affectus, requirit solum aquae potum, vel supra se stillicidium, vel utrunque, non autem insessum, si reliquum corporis bene habeat. Nam bene valentibus non opus est medico neque balneo. Item si renes tantum male habeant, solus aquae potus sufficit, quemadmodum etiam si caput solum destillatione, aut alio morbo laboret, praeter stillicidium nihil opus erit, sed si totus corporis habitus atque etiam multae corporis internae partes egent balneo, tum opus est potu et insessu.

Caveant etiam aegri, ne impuro corpore et sine medici consilio adeant balnea: ne quid in ipsis balneis peccent. Multum enim interest quando, quomodo et quamdiu quis vel stillicidio, vel insessu, vel potu utatur, temporibus medicina valet, inquit ille.

Ideo capite destillatione laborante, aut aliter male affecto a causa frigida et humida, aeger consilio periti medici, praepurgato corpore, post alvum solutam, et ad modum levem deambulationem, in sutura coronali ieiunus capiat stillicidium rite paratum per horam, quindecim dies continuos, si fuerit senex cuius craneum per aetatem est densius, crassius et durius; si fuerit iuvenis, duodecim dies; si puer decem dies, et quotidie per mediam

⁵ Il testo di Galeno qui citato è il commento agli aforismi di Ippocrate, secondo libro.

saltem horam. Qui egent insessu, ieiuni, alvo soluta, paulatim ingredientur aquae solium; immorentur duas horas, vel unam saltem, per mensem integrum, vel paulo plus, vel paulo minus: postea intrent lectum et sudent saltem per horam, mox laeti comedant. Robusti bis quotidie uti possunt insessu.

Quibus potus aquae opus est, illi ieiuni hauriant ex ipso fonte unam vel duas aquae balnei libras, habita ratione virium, aetatis et consuetudinis, atque etiam tolerantiae.

Qui vero indigent ob varios affectus et insessu et potu et stillicidio, mane capiant stillicidium, vesperi utantur insessu et simul aquam balnei, quantum decet, bibant, sed vesperi ante coena nemo intret balneum, nisi prius prima concoctione absoluta, quae sit in ventriculo.

Erit igitur consultius, parcius prandere quam coenare: cum multo maius spatium sit inter coenam et prandium sequentis diei, quam inter prandium et coenam eiusdem diei; praeter nocturnum somnum et aëris nocturni ambientis frigiditatem et corporis quietem; quae tria quoque faciunt ad celerem et bonam ciborum concoctionem.

In summa omnes aegri quandiu utuntur balneis et postquam recesserint a balneis per aliquod tempus, omnino abstineant a venere, perturbationibus, a pravis cibis; sed ex medici praescripto, idoneo utantur victu.

Praeter plura illa admirabilia stillicidia, in una habitatione cadentia, praeter illa duo lavacra vicina, humano generi tam salutaria; prope et supra ipsa stillicidia extat locus concameratus, refertus terra lutosa atque caenosa, cum aqua sulphurea mista, ubi et cuius luti usu curantur morbi illi fere insanabiles; qui neque stillicidio, neque insessu, neque ipsius aquae potu curari potuerunt; in loco humiliori et vicino conspicitur balneum multis equorum morbis curandis valde idoneum, supra quod balneum balneorum superior fons copiosus aquae calentis habet suum lavacrum quadrangulum, circumclusum, obtectum ad insidendum et lavandum cum habitationibus contiguis et commodis. Fons autem inferior adhuc aqua calente copiosior, praeter suum lavacrum amplum undique muro et tecto superne bene munitum, habet contigua plura stillicidia, conspicua illa quidem et bene commoda. Ubi quoque sunt suae habitationes commodae et multae.

Tam commoda balnea, ita aedificiis ornata, tam multis morbis utilia, ego certe nusquam alibi vidi, neque in Germania, neque in Italia, quae tamen hoc etiam anno a Burmiensibus redduntur commodiora et ornatiora. Nihil dixi de vicino templo, in quo res sacrae et peragi et audiri possunt.

Sed quoniam dixi balnea esse calida, cum sint quoque ad bibendum non iniucunda, perpendendum est an in suo ortu ita sint calida, an in cuniculis

incalescant, ubi libet paululum philosophari et commorari.

Perspicuum est et nemini dubium ex libro secundo Aristotelis De Generatione ac interitu, elementa mutuo inter se generari atque aërem ob frigiditatem vel supra terram vel sub terra cogi et condensari in aquam, unde perennis ortus fontium et fluviorum in praealtis praesertim montibus, teste eodem Aristotele libro primo Metereologicorum.

Aqua vero ita continenter genita ab aëre ob loci frigiditatem coacto et condensato, uti ignis elemento contraria, frigida et humida est; quod ait idem auctor eodem secundo libro De generatione; ubi rationibus verissimis concludit aquam longe magis esse frigidam quam humidam; sicuti ignis est magis calidus quam siccus et aër plus humidus quam calidus, ac terra plus sicca quam frigida. Itaque frigitas propria est unius elementi aquae et aqua ob frigiditatem in locis frigidis ex aëre genita initio semper est summopere frigida.

Quare concludendum est aquas omnium balneorum, vel calidorum, in ortu suo esse frigidas. Qua tamen in re parum sibi constare videtur Falopius, dum hoc ipsum, quod verum est, cap.4. bis affirmat; et cap. 7. ait balnea actu frigida scatentia, in ortu suo esse calidissima, id quod est omnino falsum. Quod cum ita sit, balnea quoque Burmiensia, licet valde calida scaturiant; initio sui tamen ortus, ubi perpetuo generantur, frigida sunt, nam, si tanta caliditas esset ipsorum balneorum naturalis, calida ubique semper essent id quod facile colligi potest ex lib. I. cap. 3 Simpl⁶. Galen. Sed contrarium observatur in ipsis balneis, quae per canales supra terram versus Adduam fluendo, paulatim amittunt acquisititium calorem, demumque ad suam ingenitam frigiditatem redeunt. Ubi igitur incalescunt, dicet aliquis? In cuniculis, per quos sub terra labuntur balnea incalescere, omnino censendum est. Verumenimvero a quo calore sub terra balnea calefiant, et quomodo calor ille subterraneus gignatur, quo pabulo foveatur et perenne conservetur, diversi scriptores tum veteres, tum recentiores diversam habent sententiam.

Res est omnium rerum obscurissima: adeo ut Iulius Alexandrinus Tridentinus⁷, Cesarum medicus, medicorum sui temporis facile princeps, in opere suo De tuenda valetudine hoc ipsum se nescire fateatur, sed ea est tanti viri modestia ut ea quae probe tenet, si sint contraversa, non ostendet.

⁶ Si tratta dell'opera di Galeno *De simplicium medicamentorum temperamentis ac facultatibus*.

⁷ Giulio Alessandrino (Trento 1506- Civezzano Tn 1590) filosofo e medico, lavorò presso la corte dell'Imperatore Ferdinando I e di Massimiliano II. Scrisse numerose opere a sostegno della medicina di Galeno, un dialogo *De medicina et Medico*, un'opera sulla nutrizione dei fanciulli.

Aristoteles tamen (mea quidem sententia) luce clarius libro secundo, cap. tertio, quarto et octavo Meteorologicorum, affirmat aquas calefieri a calore ignis nostri subterranei. Qui cum sit summus quidam fervor ignis elementarij purissimi, teste Aphrodisaeo⁸ libro secundo. cap.17. Natural. Quaestion. quasi divinitus etiam in subterraneis locis reperitur, fovetur, atque in metallis et saxis attritis, tanquam innatus, exilit. Reperiri in multis Italiae locis atque etiam extra Italiam, multos ignes perpetuos sub terra, a quibus non sine agricolarum formidatione, statis quibusdam temporibus supra terram fumi flammaeque erumpunt, adeo in promptu est ut probatione non egeat stultum est enim dimittere sensum et rationem quaerere, inquit philosophus physicorum libris.

Sed quo modo ignis subterraneus gignatur, subinde videamus.

Aristoteles, vir divinus, nullam scientiam ignarus, sed rerum omnium naturalium, vel abstrusarum, maxime peritus (vanis aliorum opinionibus omissis) libro secundo Meteorologicorum, cap. de terrae motu asseverat ignem in cavernis subterraneis gigni ab exhalatione calida et sicca ibi conclusa. Quae exitum quaerens et non inveniens, atteritur, attrita rarescit, rarefacta inflammatur. Quod si vicinum sit vel bitumen, vel sulphur, aptum natum ut facillime accendatur, simul ipsum quoque accenditur; accensum perenne in sua naturali sede ignem fovet et conservat. Ut enim nihil est in tota rerum natura, quod tam cito ignem concipiat, tam facile exardescat; ita nulla alia res est, quae tam diu ignem conceptum foveat et conservet, atque bitumen et sulphur. Quae duo veluti pabulum ignis subterranei accensi maxime proprium, teste Aristotele, Sect. XXIIIJ probl. ultimo perenne ignem et ignis flammam conservant, quia perpetuo regenerantur. Norunt enim optime fodinarum quique periti, metalla et magis succos subterraneos perpetuo regenerari, non deficientibus causis efficiente ac materiali, Strabo testatur; in insula (Elba nunc vocata) assidue ferrum effodi et regenerari, cum magno Hetruriae, Magni Ducis emolumento. Sulphur igitur potissimum perpetuo alit ignem subterraneum, quia assidue regeneratur; sed ita alit ut sequatur ignem et flammam, sicuti oleum lucernae flammam sequitur; non autem uti noster ignis familiaris, qui ligna tanquam suum pabulum sequitur. Duplex hic modus nutriendi ignis dignus est, qui observetur ad tollendas multas difficultates.

Sunt igitur multa balnea perenne calida; quia perennem habent ignem accensum et calefacientem; ignis ille subterraneus ardens perpetuus est quia pro alimento sulphur habet perpetuo regeneratum. Quo vero modo denuo et assidue generetur, non est presentis instituti.

⁸ Alessandro d'Afrodisia (I-II sec. d.C.) fu uno dei maggiori commentatori di Aristotele.

Ex praedictis facile colligi et vere potest inferri, balnea omnia vel actu vel saltem potestate calida, aliqua ex parte sulphurea esse, ergo et admiranda nostra balnea Burmiensia, actu ac potestate valde calida, sunt omnino sulphurea, id quod ego saepius sum expertus artificiosa distillatione, diligentia, inspectione eorum canalium, per quos aqua balneorum labitur in Adduam, vicinum flumen, in quibus canalibus certa sulphuris indicia conspiciuntur; huc accedit multorum morborum ibi curatorum observatio mea.

Sed quoniam Petrus de Tusignano, eo tempore medicus celeberrimus, ducentis ab hinc et quadraginta sex annis scripsit (prout ex eius literis manu scriptis perspexi) balnea Burmiensia longe plus nitri quam sulphuris habere; Petrus vero Paulus Paravicinus medicus ad Cavenagum mediolanensem (quod pariter eius literae manuscriptae mihi notum fecerunt) censet Burmiensium balneorum naturam esse maxime sulphuream; dicendum mihi nunc videtur uter ipsorum verum dicat. Cum nitrum ex vera Galeni sententia sit medium inter aphronitrum et salem et necessario habeat aliquem saporem salsum, sequeretur quod si balnea Burmiensia essent plurimum nitrosa, uti ait Petrus de Tusignano, ipsorum sapor esset saltem subsalsus. Sed bibentibus ex ipsis balneorum fontibus aqua videtur suavis, nullo sapore salso praedita. Falsa est igitur opinio Petri de Tusignano; vera est sententia Paravicini; quod ipsa balnea longe plus sint sulphurea, quam nitrosa. Fallitur tamen et Paravicinus in eo quod ova aquae imposita prae nimio fervore coquantur et pulli gallinacei fiant deplumes si in profundioribus cavernis parum manserint. Ego enim ipse cavernas eas aliquatenus penetravi; nihil tale animadverti aut coniectura assequi potui. Quamquam enim sulphur quartu gradu calefacit, vix tamen ipsa balnea tertium caliditatis gradum in exitu retinent.

Calida quidem actu et potentia erumpunt, sed non ita calida atque sulphur est, quia non ebulliunt in sulphure, sed incalescunt in itinere et acquirunt caliditatem ex illis saxis, per quae saxa labuntur; sub quibus quidem saxis ardet ignis in vicino sulphure accensus.

Sunt etiam ipsorum balneorum aquae potabiles: quoniam non transeunt in cuniculis per ipsum sulphur ignitum et ardens; ita ut nihil de sulphuris substantia secum ducant. Potestate igitur non actu, sulphuris ac nitri naturam et virtutes referunt, ob perfectam quandam aquae mitionem cum sulphuris vi de quorum balneorum virtutibus divinis potius quam humanis, iam tandem agendum est.

Aegri plurimi diversis temporibus humana opera pertissimorum[sic] medicorum nihil adiuti, praedictis balneis opportune usi, quasi divinitus curati sunt.

Ex quibus, sed prope, in ipsa aquae scaturigine ac descensu prominet verus capillus veneris, verum adiantum, ex rimis praeruptorum saxorum exortus et perpetuo virens, aqua undique perfusus, numquam madescens; res visu mirabilis, incognita Galeno, Theophrasto vero atque Plinio cognita. Qua quidem herba tam multis morbis salutaris alibi nusquam in tota Volturrena (quod sciam) enascitur; neque multum alibi extra Volturrena copiosa est. Ea fuit multis ab hinc seculis, vel potius a diluvio, erga patriam meam summa Dei benignitas cui uni assidue immortales sunt a nobis agenda gratiae.



Frontespizio del "Balneorum Burmiensium Descriptio" di A.M. Venusti, nell'edizione di Innsbruck 1584.



TRADUZIONE

Parlerò dei mirabili bagni di Bormio che sono davvero degni di essere oggetto di discussione degli uomini di scienza; finora a quanto io sappia, nessuno ha pubblicato qualcosa su di essi; ritengo di fare opera di pregio se prima farò un discorso in generale sul luogo e sulle popolazioni, su dove e presso chi i suddetti bagni hanno origine, poi tratterò propriamente in particolare degli stessi bagni. Certo è importantissimo che i forestieri, soprattutto quelli lontani che là potrebbero giungere per motivi di salute abbiano in anticipo piena cognizione della regione in cui gli stessi bagni si trovano, del clima, della ricchezza del suolo, delle abitudini degli abitanti e infine possano conoscere perfettamente il modo di vivere, così che i forestieri, prima di partirsene da casa, si rendano conto della realtà, di quale sia la migliore stagione, di quali abiti o vivande preparare, attraverso quali vie effettuare in modo sicuro e raccomandabile il viaggio per giungere ai bagni. Pertanto dirò prima sommariamente qualcosa sulla regione in cui per l'infinita bontà di Dio e per un miracolo quasi perenne hanno origine le acque dei bagni.

La Valtellina, mia patria, valle amenissima e ricchissima, già da molti anni ormai suddita degli illustrissimi e potentissimi Reti, ha inizio dal lago Lario tra mezzogiorno e occidente, per molta parte si estende longitudinalmente con un percorso sinuoso e con qualche tortuosità fino a Bormio; il viaggio richiede due giorni a causa delle strade qua e là piene di sassi, quasi per un tratto di sessantamila passi e si conclude tra settentrione ed oriente.

In questo tragitto si trova quasi ad ogni miglio, o ogni due o almeno ogni tre miglia un qualche albergo dove i viaggiatori di qualunque tipo possono essere alloggiati in qualsiasi stagione se non in modo sontuoso, almeno in modo sicuro e confortevole. La mia terra patria ha questa cosa degna di grande lode: che mai a nessun viaggiatore è fatta alcuna offesa, a nessuno è sottratto con l'inganno o strappato con la forza ciò che è suo; ladri, briganti, predoni, se pur ce n'è qualcuno, sono pochissimi e oltremodo rari, sono ricercati con la massima diligenza dai magistrati dei Signori Reti e, una volta catturati, sono puniti con grandissima severità.

Questa valle celeberrima che, iniziando tra meridione ed occidente ha come confinanti i Triumpilini, abitanti del lago Lario e gli abitanti del comasco, termina salendo ai piedi delle altissime Alpi, oltre le quali si trova il contado che ora chiamano Tirolese, provincia ben ampia, montuosa certamente ma ricca di beni e largamente dotata di validi soldati, posta sotto il dominio del Serenissimo e Potentissimo Ferdinando Arciduca d'Austria, principe mio graziosissimo.



Dal lato sinistro salendo oltre gli altissimi gioghi delle Alpi, tra occidente e settentrione vi sono i Reti, Signori della Valtellina.

Dall'altro lato invece tra oriente e meridione, al di là di altri monti non così alti, vi sono i Camuni, popoli vicini posti sotto il dominio veneto.

Nella piana di questa valle ed anche ai lati si vedono qua e là frequentissimi borghi, molti villaggi e qualche città paragonabile alle molte città italiane.

La zona è certamente ricca di tutti i prodotti necessari per vivere.

